



Patriarchatus Latinus- Ierusalem
البطريركية اللاتينية الورشلية
المكتب الليتورجي
Officium Liturgicum

IANUARIUS

Die 11 Ianuarii
S. Theodosii, abbatis

Ant. ad introitum

Io 10, 14-16

Ego sum pastor bonus : et cognosco oves meas, et cognoscunt me meae. Et alias oves habeo : vocem meam audient, et fient unus grex, unus pastor.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
lumen errántium et pastor óvium,
concéde propítius, per intercessiónem sancti Theodósii, abbátis,
qui pro fide cathólica tuénda, nec minas nec mortem tímuit,
ut una fáciás in te credéntes pietáte concórdes.
Per Dóminum.

LECTIO PRIOR

« Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. »

Léctio Epístolae beati Pauli apóstoli ad Ephésios 4, 1-6

Fratres :

Obsecro vos, ego, vinctus in Dómino, ut digne ambuletis vocatiōne qua vocáti estis, cum omni humilitáte et mansuetudine, cum longanimitáte, supportantes ínvicem in caritatē, sollíciti serváre unitátem spíritus in vínculo pacis; unum cor-

pus et unus Spíritus, sicut et vocáti estis in una spe voca-
tiónis vestrae; unus Dóminus, una fides, unum baptísma; unus
Deus et Pater ómnium qui super omnes et per ómnia et in
ómníbus.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 99, 2. 3. 4. 5 (R. 3c)

R. Nos pópulus eius et oves páscuæ eius.

- 1 Iubiláte Dómino, omnis terra,
servíte Dómino in lætitia;
introíte in conspéctu eius in exsultatióne. R.
- 2 Scítote quóniam Dóminus ipse est Deus;
ipse fecit nos, et ipsíus sumus,
pópulus eius et oves páscuae eius. R.
- 3 Introíte portas eius in confessióne,
átria eius in hymnis,
confitémini illi, benedícite nómini eius. R.
- 4 Quóniam suávis est Dóminus;
in æténum misericórdia eius,
et usque in generatióne et generatione véritas eius. R.

ALLELUIA

Io 10, 27

R. Allelúia, Oves meae vocem meam áudiunt, dicit Domi-
nus; et ego cognósco eas, et sequúntur me.
R. Allelúia.

EVANGELIUM

«Oves illas oportet me adducere et fiet unus grex.»

† Lectio sancti Evangélii secúndum loánnem 10, 11. 14-16
In illo témpore :

Dixit Iesus : « Ego sum pastor bonus : bonus pastor án-
imam suam ponit pro óvibus. Ego sum pastor bonus : et co-
gnosco meas, et cognoscunt me meae, sicut novit me Pater,
et ego agnosco Patrem : et ániam meam pono pro óvibus.

Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et
illas oportet me addúcere, et vocem meam audient, et fient
unus grex, unus pastor.

Verbum Dómini.

Super oblata

Sanctifica, misericors Deus, hæc múnera, et præsta :
ut beati Theodósii abbatis exémplo et intercessione,
nosmetípos tibi cum Christo simul offerámus.

Per Christum.

Ant. ad communionem

cf I Cor 10, 17

Unus panis et unum corpus multi sumus,
omnes qui de uno pane et de uno cálice participámus.

Post communionem

Quæsumus, Dómine, ut sacraménta quæ súmpsimus,
in hac memória beáti Theodósii,
ad fraternitatis caritatem et ad fidei firmitatem proficiant.
Per Christum.